



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R.P. Thomae Młodzianowski Poloni, Societatis Jesu,
Praelectionum Theologicarvm Tomus**

**Młodzianowski, Tomasz
Moguntiae Et Dantisci, 1682**

Punct. Diff. 5. Solvuntur Objectiones.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82973](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82973)

autem dictum est de liberalitate, idem proportionaliter dici debet de magnificentia.

RESPONDETUR. Cumulative cum iustitia sumptam liberalitatem, esse meliorem præ iustitia, sed non solam: quia si occurrat utriusque occasio, magis obligat iustitia generalis. Item non respicit majus bonum, quam sit bonum communis item videtur: Liberalitas recipi in concupiscibili, utpotè moderativa passionis, circa usum, & possessionem pecuniæ, cum iustitia recipiatur in appetitu rationali.

DICES 2. Cum Buridano, apud Valent. Nobilius est bonum proprium; quam alienum. Ergo, & virtutes, versantes circa bonum proprium, nobiliores sunt præ virtutibus versantibus circa bonum alienum. Iustitia autem, ex Arist. bonum alienum est. Anteced. probatur. Quia ordinata charitas incipit à seipso. Deinde, si bonum proprium non esset melius præ alieno, natura non ordinasset ita inclinationes, ut potius inclinarentur ad bonum proprium, quam alienum.

RESPONDET Valent. quod probet obiectio, quoad aliquid illas virtutes meliores esse iustitiā. Sed explicandum fuisset; cur illud, quoad aliquid, non sit principale in illis virtutibus? & si principale illarum virtutum, superat iustitiam, hoc ipso illæ virtutes meliores erunt: quia ad exaltandas virtutes, non est necesse, ut omnes illius formalitates meliores sint, sed ut principalis sit melior, hincque denominatio à principali. Hincaliter paulo

RESPONDET Esparza cit. quod etiam iustitia perficiat subiectum, sitque bonum ejusdem. Et, addit, quod intentio naturæ, & ordo charitatis, præferat bonum cujusque proprium conjunctum cum bono alterius, illi bono, quod est limitatum ad suum subiectum, nec est diffusivum sui: nam bonitas sui diffusiva, est virtus divina.

Est & alius modus, satisfaciendi huic Argumento. Negando omne bonum proprium, esse melius alieno. Unde gloria Dei, quæ est bonum extrinsecum Dei, melior est bono proprio creaturæ. Magnitudo ergo boni pensanda est, ex ipsa conditione boni, si accedat prædicatum proprii, cæteris paribus, melius erit proprium. Ordo autem charitatis incipit à seipso, si cætera sint paria. Unde tenetur privatus suæ vitæ non parcere, ut tueatur vitam Principis. Jam autem in præsentia, melius est bonum reddere alienum, non necessariis detractis, quam habere superflua.

DICES 3. Multæ virtutes versantur circa difficilius, præ iustitia. Ergo meliores sunt.

RESPONDETUR. Illarum melioritas attendi debet ex subiecto, in quo recipiuntur: & ex obiecto; non ex difficultatibus vincendis: quia ipsa victoria difficultatum, habet se per modum materialis in virtutibus; excellentia autem at-

tenditur pænes formale. In artificio atis enim ignobilior est, v. g. Faber, præ Aurifabro, quamvis prior, plura laboret.

DICES 4. Plus plauditur forti & liberali, quam iusto.

RESPONDETUR. Id sit plausu, inquit Esparza, gratificante & obsequente propter acceptum beneficium; sed non laude magnificente & morali, quæ ex dignitate motivi virtutis desumitur, aliisque, de quibus supra.

DICES 5. Ex istis quæ sibi opponit Esparza. Ea quæ sunt magis necessaria, magis obvia sunt, & hoc ipso viliora, sic aqua magis indigemus magisque abundamus, quam vino; terra quam gemmis, &c. Ergo & inter virtutes ea est minus perfecta, quæ est magis necessaria, reperiturque in pluribus: talis autem est iustitia etiam pernos.

RESPONDETUR. In primis lucem esse valde necessariam maximè obviam, & tamen lux est quid præstantius, quibuscunque luminibus lapidum, raris. Nihil est magis necessarium & magis obvium, quam ipsius præsentia Dei, quæ non vilificatur per hoc. Deinde si spectetur præcisè ratio obviæ, per hoc potest utcunque ratio excellentiæ obtundi potius, quam diminui; sed si principale alicujus prædicatum excellentiam importet, illud excellentius erit, quod in præsentia contingit: quia prædicatum illud, quod & ratione subiecti, & ratione obiecti competit iustitiæ, estque in illa principale, supplet in reliquis alios defectus. Ex his autem.

COLLIGES. Quod genus in definitione iustitiæ ponendum, sit, virtus moralis ad alterum.

QUÆSTIO II.

Quid pro Differentia dicat Iustitia.

IN differentiis Logicis sunt aliæ differentię subalternæ, aliæ specificæ. Subalternæ in aliquo quidem genere faciunt quidem differre; sed ita, ut sint ratio conveniendi, etiam essentialiter, aliis. Et ita vegetativum distinguit quidem hominem à lapide, sed non distinguit à flore, à quo essentialiter differt homo. Sed specificæ differentię sunt tales, ut faciant ita differre, ut non sint ratio conveniendi essentialiter aliis: & ita rationalitas est ratio differendi talis, ut in illa non conveniant cætera animalia, quæ sunt bruta. Consimile quid contingit in differentiis scientiarum, virtutum, &c. ipsorum enim habituum differentia, petitur ab obiectis, in quibus ratio materialis habet se, sicut differentia subalterna: Ratio autem formalis habet se, sicut differentia specifica: sicut enim differentia subalterna, est quidem ratio differendi ab aliquibus, ita tamen, ut sit ratio conveniendi etiam